

altera, valebit, ut est certum apud omnes, quia nullo jure plus postulat. At nec in irregularitatibus postulat. Item, qui plura habet crimina, minus dignus est beneficio; et si essent cognita, difficilior illud obtineret, vel forte non obtineret, et nihilominus collatio est valida, secluso alio majori impedimento. Item, qui propter distincta crimina obnoxius est multis pœnis, minus dignus est cujuslibet remissione, et difficilior illam obtineret si omnia simul remittenda proponeret; et nihilominus valida est remissio uniuscujusque, tacitis aliis, nisi ubi lex aliud disponit, vel unum non potest sine alio sufficienter explicari; quia, quando sunt omnino diversa, nullam connexionem habent in remissione; et illa difficultas, quæ per taciturnitatem evitatur, non causat involuntarium, nisi valde accidentarium et diminutum, quod non impedit valorem actus. Idem ergo est in irregularitatibus et aliis similibus pœnis.

12. *Regula attendenda.* — Regula ergo observanda est, ut, per se loquendo, valeat dispensatio unius sine expressione alterius, nisi gravitas unius non possit satis sine alia explicari; ad eum modum, quo Navar., cons. 18 de Rescript., dixit dispensationem irregularitatis contractæ occidendo clericum, non esse validam explicato homicidio, nisi explicetur sacrilegium. Et similiter censeo, qui plura homicidia commisit, si uno tantum narrato velit dispensationem unius irregularitatis obtinere, nihil faciet, quia, licet illæ censeantur irregularitates numero diversæ, moraliter quasi efficiunt unam graviorem, vel certe nulla illarum satis explicatur sine alia, ac denique tunc fere procedunt rationes de matrimonio factæ. Extra hos vero et similes casus, valida est dispensatio unius vinculi, tacito alio omnino diverso, quoties per se habere potest sufficientem causam et rationem ut auferatur, etiamsi cætera non tollantur. Et hactenus de dispensatione.

CAPUT XXV.

QUANDO ET EX QUIBUS CAUSIS POSSIT LEX ABROGARI.

1. Declaravimus relaxationem legis, quæ per dispensationem ex parte fit; solum superest dicendum de mutatione, quæ per abrogationem fit: sic enim appellari solet in jure totius legis ablatio, l. *Derogatur*, ff. de Verbor. signific. Distinguunt autem aliqui inter abro-

gationem et irritationem legis, ut irritatio sit, quando tota lex impeditur, ne vires obligandi accipiat priusquam plene constituta sit; ut, si lex postulans confirmationem principis ut obligare possit, ab eo non confirmetur, vel si lex lata a principe, a populo non acceptetur, juxta opinionem existimantem acceptationem esse necessariam. Sed hoc posterius exemplum falsum supponit: nam lex principis ante acceptationem populi est vera lex, et illa mutatio per resistantiam subditorum pertinet ad mutationem seu abrogationem per consuetudinem, de qua in libro sequenti dicturi sumus. Altera vero abjectio seu non admissio legis per resistantiam principis non est propria mutatio legis, quia non mutatur proprie nisi quod præexistit, imo nec irritari proprie dicitur, nisi quod jam erat ratum et validum, sicut alias de voto diximus, et ita non acceptatio legis in illo casu non est legis mutatio; quod si dicatur irritatio quasi antecedens, non est de voce contendendum, nec enim est inusitata illa significatio vocis, ut constat ex dictis de lege irritante. Nullam vero specialem explicationem in præsentem requirit, quia solum est quædam negatio institutionis legis, quæ erit valida si ex sufficiente potestate fiat, et justa si causam habeat honestam, et ad bonum commune pertinentem. Solum ergo nunc agimus de propria legis abrogatione. Advertimus autem, licet abrogatio proprie dicatur de integra legis ablatione, sub illa tamen nunc comprehenditur illam diminutionem legis, per quam in perpetuum lex tollitur, et licet non in totum, sed quoad aliquam partem; illa enim non est proprie dispensatio, ut in superioribus tetigi, sed dici solet derogatio. Verumtamen servata proportionem eandem habet rationem et doctrinam quam integra legis ablatio, et ideo sub abrogatione nunc comprehenditur.

2. *Conclusio: Lex debet esse justa, rationalis, etc.—Optima ratio dubitandi.* — Ex dictis ergo concluditur legem tunc abrogari quando supponitur esse vera lex, et permanens toto tempore, priusquam abrogetur, et consequenter debet etiam supponi justa, rationalis et utilis: nam si prius fiat injusta, nociva, aut inutilis, prius per se desinet esse quam abrogetur et ita jam non habebit locum abrogatio, quia cessatio legis distinctus modus desitionis est, ut supra vidimus. Hinc ergo sumi potest ratio dubitandi quomodo sit possibilis valida et justa abrogatio legis: nam si lex quæ supponitur non est justa, nec utilis, ablatio ejus non erit abrogatio juris, sed facti, vel potius

declaratio nullitatis legis; si vero sit justa, abrogatio erit iniqua. Quid enim magis iniquum quam legem justam et utilem abolere? ergo consequenter etiam erit invalida: nam, sicut lex injusta non est lex, ita abrogatio injusta nocere non debet communi bono, cum sit ex potestate data ad ædificationem, non ad destructionem. Dico vero potest ex D. Thoma, et aliis statim referendis, legem justam in uno tempore posse per temporum mutationem fieri injustam, et ideo illius abrogationem posse esse justam. Sed contra hoc est, quia, si mutatio temporis fecit legem injustam, jam non habebit locum abrogatio, sed per se desinet lex, et ita nunquam erit necessaria, imo nec possibilis.

3. *Legem humanam valide et juste abrogari posse.* — Nihilominus dicendum est primo, humanam legem interdum abrogari posse et valide et juste. Est certa et communis sententia, quam tradit D. Thomas 1. 2, quæst. 97, art. 1, et ibi omnes; et Sylvest., verb. *Lex*, quæst. 25; et ibi alii Summistæ et juristæ, quos refert et sequitur Covar. in cap. *Alma mater*, p. 2, in princip. Et sumitur ex Augustin., l. 1 de Liber. arbitr., cap. 6, ubi hac ratione legem humanam vocat *temporalem*, quia, licet justa sit, pro temporum varietate mutari potest et debet. Sumitur etiam ex Aristotele, l. 2 Politic., cap. 6, ubi, agitata quæstione pro utraque parte, eam indecisam relinquere videtur; nihilominus tamen absolute hoc sentit, licet indicare voluerit, hanc legum mutationem non debere esse frequentem. Idem tradit Plato, Dialog. 16, qui *Civilis*, seu de regno inscribitur, longe post medium, et Dialog. 6 de Legibus. Sumitur etiam ex utroque jure, l. unic., c. de Caduceis tollend., in princip., ubi fere omnes causæ hujus mutationis attinguntur, et ex c. 2, d. 14, et aliis quæ statim afferemus. Denique sumitur ex Dei exemplo, qui legem suam abrogavit: si enim hoc potuit facere Deus immutabilis, propter hominum et temporum mutationem, ut late expendit Augustinus contra Faust., multo magis id erit concessum hominibus. Atque hinc concluditur ratio assertionis: nam in lege humana inveniuntur omnia principia mutationis; tum ex parte auctoris proximi, qui mutabilis est, et in intellectu, quia paulatim cognitionem acquirit, et in voluntate, quia finita et potentialis est; tum ex parte actionum circa quas proxime versatur, quia nec sunt intrinsece malæ, neque ita bonæ, ut sint per se necessariae ad morum honestatem; et ideo lex humana non est hoc

capite immutabilis, sicut lex naturalis. Aliunde vero etiam quoad utilitatem, per mutationem temporum possunt hujusmodi actiones variari: nam quæ uno tempore utiles sunt, vel expediunt, in alio fiunt inutiles aut nimis graves. Denique etiam ex parte subditorum, quibus leges humanæ imponuntur, habet locum hæc mutatio, quia etiam ipsi homines mutabiles sunt, et propter morum vel aliarum rerum mutationem illis nunc non expediunt leges, quæ antea expediebant: constat ergo hanc mutationem possibilem esse.

4. *Ut abrogatio legis justa sit et licita, causa propter bonum commune necessaria est.* — Ut autem explicemus quomodo possit esse justa, dicendum est secundo: ut lex humana juste ac licite abrogetur, necessarium est ex justa causa, propter commune bonum abrogari. Ita D. Thom. supra, et omnes, et tradit bene Plato, Dialog. 7 de Legibus, parum a principio. Ubi pro fundamento sumit, mutationem omnibus in rebus, præterquam in malis, esse periculosissimam, et inde concludit maxime hoc esse verum in mutatione legis, et ideo magnam considerationem ad illam requirit, sicut etiam in Dialog. 6 late docuerat. Sumitur etiam ex cap. *Non debet*, de Consanguin. et affinit., et ex cap. *Alma mater*, de Sentent. Excommun., in 6, et ex l. 2, ff. de Constil. Princip., ubi *urgens necessitas* vel *magna utilitas* postulat. Ratio vero est primo, ne contemnantur leges frequenti mutatione. Secundo, ait divus Thomas, quia consuetudine firmantur, et ideo nisi ita durent ut earum observatio, et consuetudo fiat, et quasi habitus acquiratur, nunquam pro dignitate servabuntur. Postquam autem consuetudine firmatæ sunt, non facile est ab honesta consuetudine recedendum, præsertim cum leges humanæ esse debeant moribus et consuetudinibus accommodatæ. Tertio, quia, sicut lex non debet poni nisi propter commune bonum, ita nec auferri, nam uterque est actus publicæ potestatis et jurisdictionis, quæ ad commune bonum ordinatur. Unde ita concluditur: nam vel lex posita erat rationalis, et ad commune bonum utilis, et in eo statu perseverabat, vel non; si primum, irrationabiliter tollitur, quia contra bonum commune fit; si secundum, jam intercedit causa justa ad legem tollendam.

5. *Duplex modus mutandi legem.* — Unde intelligitur dupliciter posse fieri hanc mutationem. Primo, solum propter mutationem legislatoris, quæ potest esse vel in sola voluntate, vel in intellectu. Quando est tantum ex parte

solius voluntatis, regulariter irrationabilis est, ut statim dicam, quia negotium publicum, ut juste administratur, non tam voluntate quam ratione gubernari debet. Unde, nisi constiterit priorem voluntatem fuisse irrationabilem, non fit honeste mutatio; quando vero etiam dictamen rationis mutatum est, potest esse mutatio legis justa, etiamsi in rebus nulla facta sit. Supponit tantum humanum defectum sæpe inculpabilem, quia homo non statim nec semper assequitur veritatem, præsertim practicam et prudentiæ. Et ita sæpe experientia ostendit legem non fuisse convenientem, etiamsi fuerit lata sine culpa, vel quia, si fuit injusta, lex ignorantia invincibili lata est; vel quia, licet fuerit justa et reputata conveniens, postea experientia compertum est aliam magis expedire. Sic Concilium Tridentinum, sess. 24, cap. 2 et 4 de Reform. Matrimon., ad mutandum leges aliquas circa impedimenta matrimonii, moveri se dicit, quia experientia ostendit aliqua gravia incommoda, quæ ex prioribus legibus sequebantur, quamvis malæ non essent. Aliquando vero fit mutatio in lege, etiamsi suo tempore justa, optima et utilissima fuerit, quia in rebus ipsis facta est mutatio, ratione cujus jam non expedit; et tunc fit justissime, et sine propria seu formali mutatione, seu contrarietate in iudicio rationis, quia prudenter judicatur aliquid esse conveniens uno tempore, et esse disconveniens in alio, mutatis rebus.

6. *Quæ mutatio sufficit ut lex sit abroganda.* — Non est autem necessarium hanc rerum mutationem tantam esse, ut legem effecerit aut injustam aut prorsus inutilem, sed satis est ut vel nimis rigorosa, vel minus utilis esse videatur; seu, quod major fructus ex ejus revocatione speretur, vel quod majora pericula aut mala illo modo evitentur. Et ita solvitur facile ratio dubitandi in principio posita. Nam, licet ad tollendam vel abrogandam legem causa justa necessaria sit, nihilominus non est necessaria tam urgens et gravis, ut propter illam lex ipsa statim cesset, sicut etiam ad dispensandum requiritur causa justa, quæ per se solam legis obligationem auferre non valet. Neque repugnat abrogationem esse justam, licet lex non fuerit injusta, quia justum etiam potest omitti vel mutari propter magis justum, sicut aliquid etiam omitti potest, quamvis non sit inutile, propter aliud utilius. Ac denique multa hujusmodi sunt quæ ex humano arbitrio pendent ita ut et juste statuuntur, et, si derogentur, injustitia non fiat, quia prudenti

aliqua ratione abrogari possunt, ut Covar. citato loco advertit.

7. *Peculiaris assistentia Spiritus Sancti in Ecclesia.* — Ex hac vero assertionem intulit Soto, lib. 1 de Justit., q. 71, a. 1, in fin., summum Pontificem non posse errare, in abrogandis legibus canonicis sine justa causa, quando leges illæ necessariæ sunt populo christiano, quia non potest errare in his quæ ad fidem et mores pertinent. Quod est pie et prudenter dictum quantum ad leges quasi fundamentales, et maxime necessarias, et quantum ad universalem abrogationem earum. Est autem sciendum Pontificem non posse errare in ferendis legibus, approbando, seu proponendo Ecclesiæ quod malum est, vel bonis moribus contrarium. Et cum eadem proportione non potest errare abrogando legem, reprobando tanquam malum quod bonum est, vel bonis moribus utile. Potest tamen aliquando esse excessus in multitudine legum, quia hoc pendet ex prudentia humana in particulari judicante. Et eadem proportione possent leges nimium diminui, vel aliqua abrogari eo tempore quo erat utilis, quia hoc etiam pendet in particulari ex arbitrio prudentiali. Nunquam tamen, ita providente Spiritu Sancto, id fiet cum notabili Ecclesiæ detrimento.

8. Atque ex his potest facile intelligi utrum legis mutatio, ut licita sit, debeat esse rara, et longo tempore post legem latam. Et ratio dubitandi esse potest, quia lex non debet poni ut modico tempore duret, ut dixit D. Thomas 1. 2, quæst. 96, art. 1; et patet, quia supra ostensum est legem de se debere esse perpetuam; ergo non debet intra breve tempus mutari. Item quia, ut supra dicebamus, consuetudo est necessaria ad firmandam legem; talis autem consuetudo requirit diuturnum tempus; ergo ratio postulat ut intra breve tempus mutatio legis non fiat. Præterea hæc mutatio legis tunc præcipue recte fit, quando experimento constat legem non expedire; hoc autem experimentum non nisi longo tempore sumitur. Denique, ob has et similes rationes frequens mutatio legum communiter perniciose censetur; ergo oportet ut leges non nisi post longum tempus mutantur, ne hujusmodi mutatio frequenter contingat.

9. *Quoties justa causa contingit, justa erit mutatio.* — Breviter autem dicendum est in hoc non posse certam et universalem regulam constitui. Cum enim dictum sit legem ex justa causa juste mutari, quotiescumque causa justa contingat, justa erit mutatio, sive sit post

breve, sive post longum tempus a lege condita: nam hoc accidentarium est, et utrumque sine dubio potest contingere. Regulariter vero loquendo, sicut est vitanda, ita etiam est differenda mutatio, quantum fieri possit. Unde in casu dubio, vel tantum probabili, et quoties utrinque sit æqualitas, conservanda potius est lex quam mutanda, tum quia postquam est lata, quasi est in possessione, et in dubio melior est conditio possidentis; tum etiam quia semper præponderat damnum mutationis, et hoc etiam suadent rationes factæ. Nihilominus tamen duabus ex causis fieri potest justa mutatio legis intra breve tempus. Primo, si ex aliquo errore, vel inconsideratione, sive culpabili, sive inculpabili lata sit; nam error, quocumque tempore cognoscatur, emendandus est, et præsertim quando in commune incommodum redundare potest. Secundo, quando legum materia multum variabilis est, ut contingit in legibus taxantibus pretia rerum, quia valor earum ex copia vel inopia earum pendet, et in his solet esse frequens mutatio propter frequentem temporum varietatem. In his ergo legibus non erit injusta nec imprudens mutatio, etiamsi frequenter fiat. Et ob eandem causam potest mutatio fieri intra breve tempus, ut intra annum, propter accidentem sterilitatem, vel intra brevius tempus, si ex aliquo casu contingente similis mutatio fiat.

10. Ultimo, dicendum est abrogationem legis humanæ, a supremo principe factam sine causa legitima, validam esse, licet injuste fiat. Dixi a supremo principe, quia, si fiat ab aliquo inferiori ex commissione ejus, invalida iudicanda erit talis abrogatio, propter supra dicta de dispensatione, quæ hic evidentius procedunt, quia vel hæc potestas non solet committi inferioribus, vel non nisi per modum dispensationis, vel ad summum per modum partialis revocationis, de qua eadem est ratio. Ideoque de solo principe solet ista conclusio statui, quæ communis est, et ab illis etiam auctoribus admittitur, qui similem de dispensatione negant. Ratio autem eadem est, quia legis obligatio pendet ex voluntate principis; voluntas autem illa, licet mala sit, absoluta et efficax est; ergo tollit imperium et obligationem. Dices: voluntas ponendi legem sine justa causa non facit legem validam, etiamsi ex parte legislatoris sit absoluta, quia non potest quidquid vult; ergo idem est e contrario.

11. Respondetur negando consequentiam, quia multo difficilius est imponere quam tollere leges. Nam, si impositio sit injusta, aut

erit de materia cui repugnet obligatio legis humanæ, ut si sit de re iniqua; aut certe erit de materia quæ excedat potestatem, sine qua voluntas nihil potest efficere. At vero, ad auferendam vel impediendam legis obligationem (quod fit per abrogationem legis), non potest materia conferre, quia, quantumcumque sit bona et honesta, potest non adjungi illi obligatio humana; vel, licet sit intrinsece mala, potest non addi prohibitio humana. Et quantumvis contineatur sub potestate legislatoris, potest ipsa circa illam non operari, quia illa potestas non agit naturaliter, sed media voluntate. Si autem non operetur, non obligabit, etiamsi ipse peccet. Denique hinc etiam fit ut, ponendo legem injustam, peccet contra justitiam, et non tantum legalem, sed etiam commutativam; tollendo autem legem justam, non facit contra justitiam commutativam singulorum subditorum, et ideo valida est obligatio, licet imprudens sit, et contra justitiam legalem.

CAPUT XXVI.

QUIS POSSIT LEGEM ABROGARE.

1. *Conditor legis legem abrogare potest.* — In præcedenti capite, et materiam hujus abrogationis et causam finalem attigimus; in hoc efficiens causa breviter explicanda est, de qua tres regulæ constitui possunt. Prima est: conditor legis illam abrogare potest. Ratio est clara, quia res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur; sed voluntas et potestas legislatoris sunt principia a quibus lex pendet; ergo per ea potest abrogari. Atque ita maxime procedit assertio in supremo principe, qui superiorem in suo ordine non recognoscit, et ideo semper habet eandem potestatem, et mutare potest voluntatem. Sub conditore autem legis successorem comprehendimus, quia ejusdem est potestatis, argumento cap. *Innotuit*, de Elect., et sumitur ex cap. 1 de Constitut., in 6. Estque res facilis, et cum proportione applicari potest ad inferiores legislatores; an vero in eis recipiat aliquam limitationem, paulo inferius dicam.

2. *Superior legem inferioris abrogare potest.* — Secunda regula est: superior etiam potest legem inferioris abrogare. Est etiam recepta et facilis, quia res magis pendet a causa universali quam a proxima: lex autem inferioris pendet a superiori tanquam ab universali causa: ergo. Item hac ratione diximus posse superiorem dispensare in lege inferioris: ergo et